Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 781

Quelle:
Copyright:

XVIII. *fol.* 36. p. 2. E praevio *Codici* Elencho: *Ejusdem* (Aug.) *de ſexta feria.* Initium: *Evangelicę ſeries lectionis qua per ordinem paſſionis dominicę gloriam didiciſtis. credo quod adfatim non ſolum aures. ſed et corda ueſtrę deuotionis expleuerit.* Percurritur breviter Reliquum *Paſſionis Chriſti*, et definitur in haec verba: *uacui facti ſunt carceres ſepulchrorum et rediuiua corpora dominum agnouerunt.* Videtur ejusdem cum praecedente Autoris mihi ignoti; *Auguſtini* enim non eſſe, cum ſtilus, tum frequentes, in quos erumpit, adfectus ſuadent. Atque in hoc *Sermone* finit Elenchus *Codici* praefixus.

XIX. *fol.* 38. p. 2. Inſcriptio a ſecunda manu: *Incipit Vita Sancti Auguſtini Epiſcopi a Poſſidio epiſcopo conſcripta.* Initium: *Inſpirante Rerum omnium Factore et Gubernatore* (Deo) *mei memor propoſiti* &c. Vita haec a *Poſſidio* Ep. *Calamenſi* in *Numidia*, qui per annos paene XL. magni Praeſulis, ut ait, *caritati inhaeſit*, ſcripta legitur edit. *Maur.* T. X. *append. col.* 257. et quidem correctius, quam in *Cod.* ubi mox ſub initium inſidioſa menda *euangelica* pro *angelica* et *Kartaginenſi* pro *Thagaſtenſi.* Finis: *et in futuro omnipotentis dei promiſſis cum eodem perfruar. Amen.*

XX. *fol.* 62. *Incipit ſermo domini iohannis conſtantinopolitani epiſcopi.* Initium: *Rogat dauid. ut multum ab iniquitate ſaluetur. quod ergo pro hoc munus intulit? Deo dixit. miſerere mei* &c. Neque *Sermo* integer eſt, ſed excerptum ex *Hom. II. in Pſal.* L. quae legitur in edit. *Opp. Pariſ.* T. V. 1724. p. 588. Neque *Homilia* iſta *Chryſoſtomi* eſt, ut *ibid.* p. 572. docet *Montefalconius.* Neque Verſio exacta. Ita paullo poſt quod graece: συναλλαγμα ἐστι. διδωσιν ὁ θεος, διδωσιν ὁ σωζομενος. ἐδωκεν ὁ θεος ἐλεος, ἐδωκεν ὁ σωζομενος ἐξομολογησιν. Noſter reddit, *Uiciſſitudo eſt. deus dat quod et ſaluti proficiat reus. Deus dedit miſericordiam ſuam. dedit et qui peccauit confeſſionem peccatorum ſuorum.* Ultima ſunt: *et dum hęc facis deus dat remedium animę tuę*, quae nequidem in Graeco habentur.

XXI. *fol.* 63. p. 2. ἀνεπιγραφως *Congeries* quaedam *Praeceptorum* moralium, cujus initium: *Dilige deum. ſapientiam diſce. omnia cum menſura age. Quod odis et tibi fieri non uis alii non facias* &c. Finis: *Scit enim deus petitiones tuas ante quam petas. et quę cogitas non ignorat.*

XXII. *fol.* 65. rurſus ἀνεπιγραφως Aſſertio *Deum eſſe factorem Animarum.* Initium: *Sic enim dicit deus. a me enim exiit ſpiritus. et flatum omnem ego creo. Nonne hic eſt deus qui uocauit puerum ſuum iacob et iſrael ſeruum ſuum qui finxit eum in utero* &c. Ita conglobatis multis Scripturae locis concluditur: *Ceſſet aſſertio prauiſſima nullis auctoribus communita. ceſſet plato qui dicit fontem eſſe animarum. ceſſet hermogenes qui dicit nihil poſt mortem*